Lane Medical Library

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHYSICO-MEDICA

SISTENS:

RATIONEM GRAVITATEM
INTER ET
VIM VITALEM,

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA FRIDERICA GUILELMA,
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR,
DIE XXVII. M. OCTOBR. A. MDCCCXXVIII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENSURUS EST

AUCTOR
GUILELM. JOSEPH. SINSTEDEN,
CLIVIENSIS.

OPPONENTIBUS:

H. HEDINGER, MED. ET CHIR. DD.
P. J. KOPS, MED. ET CHIR. CAND.
F. HAUCK, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,
LITERIS AUGUSTI PETSCHII.

„Eine weisere Vorwelt hatte es geahnet, daſs in Allem sich nur Ein Leben gestaltet, daſs auch in kleinern Welten die gröſsern wiederkehren — und hatte versucht, den Ausdruck desselben in Allem zu finden."

TROXLER.

PATRI

OPTIMO CARISSIMO

M. F. S. SINSTEDEN,

CIRCULI CLIVIENSIS DIRECTORI

AD OBITUM USQUE COLENDO

HAS

QUALESCUNQUE PAGELLAS

SUMMAE PIETATIS

GRATISSIMIQUE ANIMI SIGNUM

D. D. D.

AUCTOR.

I. TOTA NATURA VI VITALI VIGET ET MOVETUR.

Universam naturam vivere, ex omnibus rerum naturalium actionibus luculentissime patet; et si naturae scrutatores inter naturam anorganicam seu inanimatam et organicam seu animatam distinguunt, majorem minoremve perfectionis gradum tantum respiciunt. Si enim disquiritur, quae sit illa natura inanimata, materiam plerumque nominari videmus, cujus auctor *Anaxagoras* habetur, quippe cui materia ab omni aeternitate iners, rudis indigestaque moles erat. Praeterquam quod talis materia vix mente comprehendi potest, nusquam revera invenitur; sed ubicunque materia apparet, locum implet, itaque formam habet finibusque circumscribitur; tum corpus nominatur, quod aut individuum est, uti corpora organica, aut individuae naturae adnectitur, id est, certa partium constituentium structura, aut proportione gaudet, cujusmodi sunt plurima mineralia et corpora, quae vocantur, atmosphaerilia. Hoc corporum omnium ad individuam naturam nisu satis perspicue probatur, vi quadam plastica vitalive eadem et orta esse et existere. Quovis temporis momento vires, quibus moventur et mutantur, in cor-

poribus, quae dicuntur, mortuis emergere videmus, v. c. attributa cohaesionis, adhaesionis et gravitationis, omnibus corporibus communia et immanentia. Eodem modo magnetismus, electricitas et processus chemici inde exorti in corporibus anorganicis sese produnt; quae omnia materiae vires vitales peculiares nominari fas est. Quanquam enim corpora anorganica hisce viribus nec perpetuo nec una vice moventur vitaque impertiri videntur, ubique tamen in eis excitari possunt; et quemadmodum eum valde errare persuasum habemus, qui ovum nondum incubatum mortuum habeat, ita et eum errare pro explorato habemus, qui materiam mortuam dicat, quia viribus supra memoratis non perpetuo agitetur et mutetur; utrique scilicet, et ovo et materiae, movendi vivendique potestas inest, quae, ut ad vitam expergefiat, suscitari debet, quod fieri nequit, nisi utrumque reagat et revera vivat.

Nemo dubitat, solem, centrum systematis planetarum nostri, vi vitali moveri, indeque rursus planetarum motum pendere. Hoc scilicet modo efficitur, ut omnes planetae unam eandemque motus directionem ab occidente ad orientem et quidem eodem fere zodiaco persequantur, ut soli proximus celerrime moveatur, ut denique in perihelio celerius circumferantur, quum calore et luce magis afficiantur, quam in aphhelio. Sin autem terram universam vi vitali moveri et vivere concedimus, nonne a sana ratione abhorrebit is, qui partes ejus singulas non vivere contendat? Totum partibus suis

constituitur, et quod partibus deest, toti neutiquam competit.

Universum itaque mundum vivere pro certo habemus, quanquam causam motus et vitae ignoramus, sed tantum Deï nomine designamus.

„Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
mens agitat molem."

II. VITA UBIQUE MATERIAE ADSTRICTA EST.

Vis vitalis ubicunque rerum naturalium, qualicunque ratione perfectionisque gradu sensibus nostris appareat, licet respicias vires, corpora coelestia moventes, sive vires, quae dicuntur, physicas, cohaesionis scilicet, adhaesionis et gravitationis, sive imponderabilium vires, magnetismi puta, electrismi, caloris et lucis, sive, qui hisce viribus nituntur, processus chemicos, sive denique vires vitales tam vegetabiles quam animales: — nullibi, inquam, vis vitalis, nisi cum materia conjuncta, reperitur.

Imponderabilia ubique materiae inhaerent, nec usquam, nisi per materiam sese manifestant. Calor et lux praeter materiam non sunt, eodemque gradu evanescunt et diminuuntur, quo subtilius medium est, in quo moventur et vigent. Atmosphaerica regio, nubibus longe altior, quam Aetherem nominant, obscura est et frigida, solis radii eam penetrant, sed nec illustrant nec calefaciunt; quin imo et terrae propiores altissimorum montium nivem vix illustrant non liquefaciunt. Solis itaque radii

per se tenebris obfuscantur, et materiae tantum nupti illucescunt, calescunt. Electricitatis effectus neque cieri neque conduci possunt, nisi adhibitis corporibus. Fulmina et materia conducuntur et materiam secum ferunt, quod novissimi aevi experientia docuit; quumqne

„Diespiter
Igni corrusco nubila dividens
Plerumque, per purum tonantes
Egit equos, volucremque currum:"

aërem scimus et purissimum, qui oculis appareat, vaporibus humidisque materiis impraegnari, in quibus electricitas congregari itaque phaenomenon, tanquam fulmen de coelo mittatur sereno, efficere possit.

Vitam autem organicam praeter materiam existere posse, nemo est, qui contendat, aut contendere velit; quin imo clangor sonitusve, nisi materia vectus, non existit; campanaque in vacuo Torricelliano pulsa, non resonat, sed obmutescit. —

III. OMNIS MATERIA GRAVIS EST.

Materia per se phaenomenon est, quod locum suum ita explet, ut in eodem aliud ejusdem generis una existere nequeat; haec materiae proprietas, in loco non tantum existendi, sed eum etiam explendi, impenetrabilitas nominatur; efficitur autem unione, seu synthesi vis expansivae et contractivae. Fines extensionis materiae si respicis, materia corpus nominatur; materia autem per se nusquam re-

vera invenitur, sed tantum corporis imagine ubique nobis apparet.

Omne corpus liberum ad terram delabi, experientia docet; in directionem lapsus si inquirimus, linea verticali superficiem terrae petere videmus. Cumque terrae forma rotunda sit, omnes lineae ad superficiem terrae verticales, prolongatae terrae centrum feriant necesse est; itaque corpora ad centrum terrae niti dicuntur; vis autem, qua illuc feruntur, gravitas nominatur.

Est autem eadem vis, qua innumerae Hydrargyri particulae in formam rotundam coëunt guttamque formant, quaque innumerabilia terrae corpora forma rotunda globoque continentur.

Gravitas itaque vis reuniens est, quae omnia corpora in unum conjungere inque globum redigere tendit, nec non quamcunque partem, a superficie globi sejunctam, rursus ei reddere et versus centrum repellere nititur. Haecce autem vis non terrae tantum corporibus inest, sed et corporibus coelestibus, quae vinculo quodam invisibili conjuncta, systemata planetarum constituunt.

Vinculum autem istud nihil aliud est, nisi gravitas, quae hic gravitatio nominatur. Ut enim omnes terrae materiae partes terrae sunt, gravitate unitae, ita lunae partes planetarum, planetae partes systematis solaris sunt et omnes ad unum centrum gravitatione feruntur.

Coelorum autem spatium infinitum, magnitudo numerusque corporum infinitus est, ita ut systema

planetarum pars sit majoris systematis, quorsum, velut ad centrum gravitatione trahitur. Omne itaque corpus coeleste duo, quae petit, centra habet, quorum unum propius, aliud remotius est, vis autem qua corpora ista ad propius moventur centrum, gravitatio, qua ad remotius feruntur, vis tangentialis, utraque vis centralis nominatur.

Sic, ut exemplo utar, luna ad terram, ceu propius, ad solem, ceu remotius centrum vergit; utriusque autem gravitationis directione divergente et quovis temporis momento, id est continuo, utraque vi agente, luna versus lineam utriusque vis diagonalem, per orbem circa terram fertur.

Gravitatio vel augetur, aut diminuitur eadem proportione, qua materiae moles augetur, aut diminuitur; cumque planetarum moles, una cum lunis, sexcentesimam tantum solis partem adaequet, planetae cum lunis ad solem, ceu propius centrum, tendunt; sol autem haud minus remotiori centro attrahitur, itaque omnes planetae gravitatione et vi tangentiali circa solem per orbem feruntur.

IV. GRAVITAS ET VIS VITALIS QUALEM INTER SE RATIONEM ALANT.

Vitam materiae tantum nuptam reperiri, omnem autem materiam gravem esse, quum demonstraverimus, gravitatem et vim vitalem ubique concurrere apparet; quaeritur itaque, qualis sit mutua earum relatio. Aut enim una eademque vis utraque est,

aut similes sunt vires, aut denique sibi contrariae, alia enim ratio non existit.

Gravitatem si accuratius disquirimus, finem nisus ejus quietem esse, invenimus. Omnes partes in unum minimumque, in quem potest locum, id est in formam rotundam, conjungere tendit. Reminiscamur phaenomenorum, quae supra enarravimus: gravitate Hydrargyri particulae in guttam ad quietem tendunt, gravitate corpora, a superficie terrae elata, ad centrum ejus in perpetuam inertiam relabuntur, gravitatione luna terrae, terra soli sese conjungere studet.

Vita neutiquam quies est, sed in motu et mutatione cernitur; motus autem quieti oppositus est; causa itaque motus causae quietis, seu gravitas vitae plane opposita est. Hanc utriusque vis relationem ubique in rerum natura comprobatam reperimus.

V. GRAVITATIO ET VIS TANGENTIALIS CORPORUM COELESTIUM.

Gravitationi corporum coelestium vim tangentialem oppositam esse, earumque relatione corpora ista moveri et vigere, supra adumbravimus. Et, si verum est, quod nonnullis astronomis placet, terram inobservabili fere modo soli appropinquari, cum cursus ejus in lineam aliquantulum spiralem gravitatione flectatur, multa post saecula eam aliquando in solem ruituram suspicari licet; terram itaque senescere gravitationique magis magisque subjici, et

quondam gravitatione ruinam esse passuram, non ineptum est contendere.

VI. VIS VITALIS ET GRAVITAS IN CORPORIBUS ANORGANICIS.

Haud minus corpora anorganica et atmosphaerilia gravitate perpetua quiete et inertia persisterent, nisi „imponderabilibus" moverentur et mutarentur. Imponderabilium autem vim, quae ubique una eademque est et tantum forma lucis, caloris, electricitatis et magnetismi, prout haec, aut illa praevaleat, materiam movet et processu chemico mutat, a sole proficisci, omnibusque in corporibus terrae anorganicis excitari et vigere, inter alios naturae scrutatores *J. Weber* satis perspicue demonstravit et observationibus et experimentis probavit.

Itaque imponderabilium vim jure quodam anorganicorum vitam nominare licet. Ubi enim corpus anorganicum movetur gravitatemque superat, nisi causa externa mechanica impellatur, vi illa perficiatur necesse est. Gravitatis et imponderabilium concursu et mutua relatione anorganica et atmosphaerilia vigent et regenerantur. Gravitate fluviorum rivorumque aquae in oceanum, commune earum receptaculum, praecipitantur, per solem vero imponderabilium vita in eis excitata, decompositae et in altum sublatae, per gravitatem terrae redduntur; proinde gravitate et oppositis ei imponderabilium viribus vastus ille circuitus aquarum terrae no-

strae perficitur et existit. Jure itaque haec vis nomen suum tulit, cum omni pondere non tantum careat, sed et gravitati plane opposita sit.

VII. GRAVITAS ET VIS VITALIS IN VEGETABILIBUS.

Uti a sole corporibus coelestibus gravitationi opposita vis tangentialis, qua existunt et moventur, impertitur; uti sol corpora anorganica, imponderabilium vires in iis excitans, ad vitam alacerrimam evocat, ita regnum vegetabile solis tantum vi et crescit et viget. In altis telluris visceribus, in rupibus et speluncis subterraneis, sole nec illustratis nec calefactis, omnis vita tacet; neque magnes vim suam exserit, neque ulla viget planta; modo ad lucem protractus magnes vim suam ostendit, modo ad lucem planta expandit folia et flores aperit. Quemadmodum caulis in ramos dividitur et sursum tendit, inversa gravitatis lege, ita radix in ramos finditur et deorsum fertur, gravitati obtemperans.

Pars itaque plantae gravitati summittitur, pars altera gravitatem vincit. Utriusque autem partis indoles ea est, ut, si una augeatur, et altera promoveatur, aut vice versa. Hunc plantarum crescendi modum polaritatem nominant. Sicut igitur macrocosmus viribus sibi oppositis viget atque vivit, ita et plantarum vita eo, quod in duos polos dissolvitur, stabilitur et existit. Cum autem totius naturae vita unica sit, eodemque principio orta, viresque macrocosmi etiam microcosmis, licet individualitate

cujusque mutatae, insint; hujus plantarum polaritatis causam in luce et gravitate, quibus, ceu stimulis, excitatur, positam esse persuasum habemus. Haec enim per analogiam, uti dicunt, concludere licet; quum autem „nusquam aliud natura, aliud sapientia dicat" observationes experimentaque circa hanc rem instituta, proferamus, quibus appareat, gravitatem et lucem nisi unicam, certe maximam plantarum polaritatis causam et stimulum sistere.

Radicis directio media in locis planis perpendicularis est; eadem autem linea, qua pendulum in vicinia montis a directione perpendiculari aberrat, eadem et radix in acclivibus locis directionem perpendicularem derelinquit sursumque tendit.

Radix obstaculum sibi obvium ambit, eoque superato rursus deorsum fertur; sin humus fertilis non tam alte porrigitur, quam radix, ita ut haec in solum arenosum sterilemque demittatur, cacumen emoritur. Circa hanc urbem Quercus non bene viget, ubique cacumina arefacta apparent, antequam certam altitudinem arbores acquisiverunt; radicis enim evolutio humo fertili non satis alta impeditur, itaque cacumen perit. Caulis gravitatem non sequitur, sed ei contrarius linea verticali sursum fertur; in acclivibus autem locis, uti radix sursum, ita caulis deorsum, contra directionem penduli, a linea verticali aberrat. Semina germinantia, rotae in orbem actae imposita, radiculam versus peripheriam, plumulam versus centrum emittunt. Rotatione scilicet directio gravitatis ad centrum terrae tollitur, et in

directionem vis centrifugae mutatur, ita ut et lapis, rotae impositus, versus peripheriam jaciatur. Idem fit, si semina in rota impulsa et crebris percussionibus versus alterutrum latus agitata germinant; plumula contra directionem motus, radicula vero juxta eam spargitur.

Similis ratio est directionis foliorum, pagina superior contra directionem, inferior secundum directionem gravitatis aut motus vertitur. Folia autem vi quadam inversa, torsione mox ad solitum statum redeunt.

Torsionis hujus causa non mechanica est, neque in contractione dispari petioli laesi neque in eo consistit, quod succus, in petiolo torto ascendens, impedimentum inveniat, quod retorsione petioli submoveat, sed in polaritate, seu nisu illo, instinctus animalis simili, quo fit, ut altera pars gravitati pareat, altera eam vincat et lucem petat; quod simplicissimo experimento, quod equidem institui, probatur. Ubi enim furcula quadam petiolus ita torquetur, ut paginae folii horizontales perpendiculares reddantur et teneantur, post unum alterumve diem inter folium et furculam nova torsio efficitur, qua folium in pristinum situm redigitur. Hancce vim sane non mediocrem esse, hoc experimento certior factus sum. Furculam enim, quatuor pollices longam, altera extremitate petiolo folii Helianthi applicatam, circa alteram extremitatem pondere unciae et dimidiae oneravi, ut petiolus torqueretur, foliumque situ perpendiculari teneretur. Tertio die

folium, nova torsione facta, horizontalem situm recuperavit; itaque pondus unciae et dimidiae superavit.

Caulis Verbasci ad terram deflexus, secundo die novam flexionem media parte inter priorem flexuram et apicem inierat, inque situm verticalem sese erexerat. Quinque unciis opus erat, ut caulis alius Verbasci depressus flecteretur et in situm perpendicularum attolleretur; tertius autem Verbasci caulis ejusdem ambitus et roboris reclinatus, post triduum in situm perpendicularem sese sustulit, quotidie itaque gravitatem unciae unius cum dimidia, et quod excurrit, vicerat. Sed intueamur Quercum; quanta vi opus est, ut massa tanti ponderis in altum erigatur.

Huc plantarum somnus referendus est, tam foliorum quam florum. Post solis enim occasum alterius poli stimulus, lux scilicet, deest, somnusque hujus polaritatis, etsi non plane sublatae, tamen turbatae effectus esse videtur. Nonnullarum enim folia noctu aut deorsum flectuntur, aut situm obliquum ineunt, aut plane invertuntur, aut paginis superioribus sibi accumbunt, aut paginis inferioribus ita, ut imbricem forment, quo non raro flores teguntur.

Floribus aut calix noctu clauditur, aut pedunculus deorsum flectitur.

Segetes noctu alium prorsus adspectum praebent ac interdiu, quum folia minus erecta sint spicaeque magis nutent.

Hisce omnibus elucet, solem gravitatemque stimulum

mulum exhibere plantis, quo nisus partim superna petendi gravitatemque vincendi, partim inferna assequendi gravitatique obtemperandi excitatur. Sin autem ex phaenomenis, luce plantis detracta apparentibus conjiciunt quidam, polaritatis causam in luce non cerni, objiciendum censeo, alterius poli rationem non habitam esse. In plantis nondum organa certa, uti in animalibus, quibus gravitas vincatur, invenimus, nisi forte huc referenda existimes, artificialem illum apparatum, quo stigma, ut foecundetur, polline adspergitur, qualis invenitur in Vallisneria, Parietaria, Berberide etc.; aut motus quasi spontaneos Hedysari gyrantis et Confervae minimae, ad regnum animale transitum munientis.

VII. GRAVITAS ET VIS VITALIS IN ANIMALIBUS.

„Regnum animalium est regnum varietatis motuum" itaque gravitas diversissima ratione varioque facilitatis gradu vincitur. Animal terrae non amplius adnatum est, sed gravitate terram levissime tantum tangit. Coecus ille alterius partis plantae contra gravitatem nisus animalibus in spontaneam locomotionem vertitur, organis nimirum institutis, ut gravitatem majori minorive facilitate superent. Organa haec systema musculare sistunt, quod perfectissimo cuique animali perfectius inest. In animalium classibus, quae minori perfectionis gradu gaudent, vix hujus systematis analogon quoddam conspicimus, idem vero aliis institutionibus et sup-

pletur et sustentatur. Proinde haec animalia gravitati magis summissa, motus eorum plus minusve impeditus. Ostreae mytilique strata atque congeries formant, maris fluctibus tantum agitatas. Pisces medio, in quo existunt, densiori adjuti, facilius sese movent, nec non vesica natatoria aëre impleta attolluntur gravitatemque vincunt. Aves, piscibus perfectiores, viribus tamen gravitatem superantibus physicis adjuvantur: aëris pressione et ossibus aëre impletis.

Hominibus denique gravitas perfectissimo musculorum systemate perfectissime vincitur, quod statu erecto et liberrimo extremitatum motu, manuumque agilitate manifestatur. In animalibus itaque gravitas et vis eam superans, non uti in plantis, in duo sibi opposita extrema inque duos polos sejunctae sunt, sed habent gravitatis centrum in medio et circumcirca systema musculorum, gravitatem devincens.

Musculorum actio nervorum systemate excitatur et ab eo pendet, nervi stimulos musculorum sistunt, ita ut iisdem rationibus, quibus nervorum vis aufertur, musculorum actiones diminuantur. Diurnis laboribus nervorum vi exhausta, musculi stimulis privantur, actio eorum feriatur partesque ab iis sustentatae gravitati succumbunt et somnus accedit; palpebrae committuntur, caput pronum labitur et omnes partes sensim sensimque gravitatem sequuntur: corpus erectum plerumque procumbit, si discesseris a nonnullis animalibus, quorum quaedam organa ita instituta sunt, ut dormientium situs erectus sustineatur.

Paulatim autem nervorum systemate recreato, musculi rursus irritantur, et animal gravitate excussa ad vividissimos motus iterum expergiscitur. Musculi autem involuntarii vivo corpore usque moventur, semper gravitati reluctantur. Cor in animalibus perfectioribus simili munere fungitur, quo sol in rerum universa natura: attrahendo omnem sanguinem et distribuendo calorem et vitam per organa extremasque peripheriae partes. Diaphragma et musculi respirationi inservientes usque aërem hauriunt et expellunt.

„Das Herz giebt uns den Anblick des nie Erreichten, unter der Gestalt des Tantalus; vergebens strebt es, seine Fluthen zu fassen, sie fliehen, und es strebt wieder! ..... Das Diaphragma hat das Loos des Sysiphus; umsonst rollt es den immer zurücksinkenden Stein — die gehobene Brust mufs fallen, der Athem stirbt, und die Arbeit gebiert sich neu." (*Troxler.*)

Singulae organismi partes, prout majorem minoremve dignitatis locum obtinent, plus minusve gravitatis legibus obnoxiae sunt. Ossa v. c., quippe quae corporibus anorganicis propiora habentur, hisce legibus praeprimis obedire videntur.

Humanitate et benevolentia Illustr. *Kluge* ossa quaedam cruris videre mihi licuit, hominis cujusdam, qui aliquot menses, postquam crus media parte amputatum esset, diem supremum obierat. Inter tibiam et fibulam pons osseus exstitit, quo utrumque os concreverat. Infra hunc pontem alter formari coeperat,

ita quidem, ut ab osse tibiae parva tantum eminentia versus fibulam, ab osse fibulae autem sextuplo illa longior et amplior spina versus tibiam vergeret. Tibia enim, ut quae majorem ossis massam contineat, majori vi fibulae partes attraxerat, fibula contra, multo illa tenuior, exigua tantum vi exiles tibiae eminentias provocaverat.

Mira gravitatis conditio in ovulo humano obversari videtur; uti enim ovuli et embryonis omnes rationes ad matrem tantum referuntur, ita gravitate sua minus ad terrae centrum ferri, quam ad materni corporis massae centrum niti videntur. Quid enim est, quod ovulum ad dextrum fundi uterini latus movet? Quanam re efficitur, ut foetus situm obtineat, plane oppositum ei, quem omnia in lucem edita animalia sequuntur? Non ineptum videtur contendere omnes conditiones, quae inter creata et naturam externam intercedunt, et inter embryonem et matrem locum habere. Ovulum enim labitur, seu vergit — organa motoria non adsunt — ad centrum massae matris, id est ad fundum uteri, ceu vastiorem et crassiorem ejus partem quidemque ad dextrum ejus latus, cui maximum gravissimumque corporis organon, hepar, superimpositum est. Sicuti animalium pedes terrae secundum gravitatem, caput autem luci praeter gravitatem obvertitur, sic embryo pedibus ad directionem gravitatis, id est, versus hepar, ut centrum gravitatis matris vergit et funiculo umbilicali, solo suo affixus, ad vegetabilium

naturam accedit, capite vero contra directionem gravitatis lucem petit.

Praeter hanc ovuli gravitationem ad hepar, absqua et Illustr. *Kluge* situm ejus derivat, aliud quoddam, uti mihi videtur, accedit, quo status hujus conditio efficitur: ambulatio scilicet matris indeque corporis ejus concussiones, a pedibus versus verticem progredientes. *Dutrochetii* experimenta in memoriam revoco, quae in seminibus plantarum germinantibus, rotae impositis, crebris percussionibus versus alterutrum latus agitatae, instituit. Nonne simile quoddam in ovulo humano locum habere videtur? Uti enim radicula seminum secundum directionem, plumula contra directionem harum concussionum nititur, ita et ovuli radix, nimirum vasa, quae postea funiculum umbilicalem formant, directionem concussionum, gressu matris effectarum sequuntur, caput autem iis obnititur.

VITAE CURRICULUM,

EX DECRETO

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS ADJECTUM.

Ego, Guilelmus Josephus Sinsteden, pridie Nonas Maji A. MDCCCIII Cliviae natus, parentes veneror Michaelem Franciscum Severinum et Catharinam e gente Nolten. Artibus literisque, quas pueri tractare solent, scholis partim publicis, partim privatis imbutus, confessionique catholicae addictus sum.

Anno MDCCCXI pater, quum in villa Graefenthal, haud procul a Clivia sita, domicilium posuisset, me cum fratribus ad Gymnasium, quod Coloniae Agrippinae floret, misit. Post annum autem nos in villam revocatos, praeceptore privato iisdem, quas supra dixi, literis erudiri curavit. In vico finitimo Asperden praeceptis ecclesiae catholicae institutus atque sacris ejus admissus sum.

Anno MDCCCXV collegium, quod Kempis Cel. Directore Bister adhuc floret, adii primisque literarum elementis studere perrexi. Quatuor autem post annos in gymnasio regio Cliviensi, quod beato Directore Nagel tunc vigebat, per quinquennium literis, quibus ad academica studia via munitur, operam navavi.

Anno MDCCCXXIII. mense Octobri, maturitatis testimonio instructus, Berolinum me contuli et inter alumnos seminarii regii medico-chirurgici Friderico-Guilelmani receptus, per quadriennium, ut studium medicinae absolverem, hisce Illustr. et Cel. virorum praelectionibus assidue interfui:

De philosophicis Cel. WOLFF; de methodologia et encyclopaedia medica, de anatomia corporis humani universa, de anatomia dentium et organorum sensuum, de entozois et physiologia Illustr. RUDOLPHI; de osteologia, syndesmologia et splanchnologia Illustr. KNAPE; de arte cadavera rite secandi Illustr. Illustr. RUDOLPHI et KNAPE; de physiologia tam generali quam speciali Cel. ECK; de circulatione sanguinis Cel. SCHULZ; de physice, chemia et pharmacia Illustr. HERMBSTAEDT et Cel. TURTE; de pathologia generali, de semiotice Illustr. FR. HUFELAND; de pathologia speciali, de morbis syphiliticis et de vesaniis Illustr. HORN; de materia medica, de remediis in repentinis vitae periculus adhibendis, et de fontibus medicatis Cel. OSANN; de ophthalmiatrice Cel. JUENGKEN; de therapia Perillustr. W. HUFELAND et Illustr. FR. HUFELAND; de arte obstetricia et fascias rite applicandi, de chirurgia generali, nec non de ossibus fractis et luxatis Illustr. KLUGE; de chirurgia universa Illustr. RUST; de Akiurgia Illustr. DE GRAEFE, RUST et KLUGE disserentes audivi. Celsi de medicina libros Cel. HECKER mihi interpretatus est; de anthropologia forensi Illustr. KNAPE, de politice medica Cel. WAGNER audivi. Exercitationibus clinicis interfui medicis, chirurgicis et ophthalmiatricis Illustr. virorum W. HUFELAND, NEUMANN, DE GRAEFE et RUST.

Quibus studiis peractis, medico-chirurgi inferioris munere in nosodochio caritatis Berolinensi per annum functus sum.

Jam vero tentamine et examine rigoroso coram gratiosa medicorum facultate legitime superatis, fore spero, ut dissertatione, quam conscripsi, et thesibus rite defensis, summi in utraque medicina honores mihi concedantur.

Quibus impetratis medici militaris inferioris munera suscepturus, Deutzium me conferre jussus sum.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Exspiratione homo moritur.

II.

Omnis natura vi vitali viget.

III.

Omne remedium specificum.

IV.

Medicus venenis nunquam utitur.

V.

Amuleta contra inflammationem tonsillarum habitualem probe adhibenda sunt.

VI.

In curandis ulceribus ad dyscrasiam maxime respiciendum est.